



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dissertatio Triplex Theologica, Ad Mentem Præclarissimi  
Ecclesiæ D. S. P. Avgvstini, (Cui consonat Doctor  
Angelicvs cum Melliflvo,)**

**Schweitzer, Johannes**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.LXXXII.**

Responsio secunda. Secundùm S. Augustinum Diabolus fuit locutus per  
serpentem, sicut Angelus per asinam Balaam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39320**

& distinguit à diabolo, dicens: Nec sanè debemus opinari, quòd serpentem sibi, per quem tentaret, persuaderet-que peccatum, diabolus elegerit, &c. non nisi per illud animal potuit, per quod posse permissus est. Et lib. 14. de Civ. c. 11. dicit, quòd Diabolus colubrum in Paradiso corporali, --- ubi animalia etiam terrestria cetera subdita & innoxia versabantur, animal scilicet lubricum & tortuosus anfractibus mobile operi suo congruum, per quem loqueretur, elegerit.

Dico secundo: Secundum S. Augustinum Diabolus fuit locutus per serpentem, sicut Angelus per asinam Balaam. Patet ex cit. lib. de Gen. c. 29. ubi ait: Sic ergo locutus est serpens homini, sicut asina, in qua sedebat Balaam, locuta est homini, nisi quòd illud fuit opus diabolicum, hoc angelicum &c. Modum autem loquendi indicat capite præcedenti, ubi ait: In serpente ipse locutus est utens eo velut organo, movensque ejus naturam eo modo, quo ille movere, & moveri illa potuit ad exprimendos verborum sonos, & signa corporalia, per qua mulier suadentis intelligeret voluntatem.

Dico tertio: Serpens fuit callidior cunctis animalibus, non tantum propter propriam calliditatem, sed etiam alienam diaboli in illo loquentis. Ita Augustinus lib. cit. cap. secundo his verbis: Serpens autem erat ibi prudentissimus quidem, sed omnium bestiarum, quæ erant super terram, quas fecerat Dominus Deus. Translato enim verbo dictum est prudentissimus, vel, sicut plures Latini codices habent, sapientissimus, non proprio; quo in bonum accipi solet, sapientia Dei vel Angelorum, vel anima rationalis: tanquam si sapientes apes etiam, formicæ-  
que